SPECIMEN
DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ
Placentiæ habitæ Menſe Decemb. 1763.
IN TEMPLO S. LAURENTII

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

PRO INCONCUSSO EJUSDEM S. PATRIS DOGMATE

DE EFFECTRICI GRATIA DEI

V I N D I C A N D O

A N U P E R I SCRIPTORIS CALUMNIIS

In eadem Urbe vulgatis

LIBELLO QUODAM, CUI TITULUS:

Oſſervazioni Teologico-Critiche dell' Arciprete Donnino Giuſeppe Copellotti Dottore Collegiato in Sacra Teologia ſopra alcune Teſi Piacentine eſpoſte al Pubblico l'Anno 1762. dal P. Lettore N. N.

LUGANI MDCCLXIII. Typis Agnelli, & Soc.

Ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur.
Breviter scripsi, obsecrans & contestans, hanc esse veram Gratiam Dei.

1. Pet. III. 16. & V. 12.

THESES
THEOLOGICO-CRITICÆ
De effectrici Gratia Dei -

I.

QUod nonnisi per calumniam, ac pubblica fide abutens Neotericus Scriptor Divum Parentem Augustinum, manibus licet pedibusque reluctantem, in Molinistarum partes trahere nititur (*a*), vel saltem ab effectricis Gratiæ defensoribus semovere, & neutralem facere (*b*); novissimus error est pejor priore. Sinceriores utique Molinistarum cum Molina suo tam aperte sibi refragantem S. Doctorem semper agnovere, ultroque fassi sunt (*c*), ut proinde eidem infensos se prætulerint, diris usque ac probris illum petentes (*d*), quæ tamen in ipsorum caput perpetuo reciderunt.

II.

A D N O T A T A.

(*a*) Vide notam (*e*) ad Thesim sequentem. Id genus porro sunt quæcumque Placentinus Scriptor ex S. P Augustini Libris loca usurpavit: ut palam fiet in Disputatione, si quæ argumenta occurrent exinde in Placentino Libello deprompta. Supremi tamen Numinis providum fuit consilium, ut res

ut res tanta a perdoctis Sacræ Theologiæ Professoribus Collegii S. Lazari elapso anno disputanda proponeretur, per Theses iisdem ferme S. Patris nostri verbis & sententiis descriptas, quas postea elabente hoc anno Molinista noster temere aggressus est. Cum enim, teste S. Prudentio epist. ad Hincmar. & Pardul., *Doctrina Augustini tanto cælestis gratiæ munere donata existat, ut nullo cujusquam conamine ullatenus evelli possit, eamque & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholicæ unitas auctoritate concordissima approbarint, & roborarint*; cumque ipsemet S. Parens Sacræ Scripturæ, antiquiorum Patrum, Conciliorum, & ejusdem Ecclesiæ vestigiis arctissime inhæreat, ac vocibus ipsis probatissimis utatur: hæc proinde insectari Adversarius noster coactus est, ut rem suam faceret; pervertere, atque corrumpere tentavit; seque in ipsa collisit, utpote ea firmissima, ille vero levioribus tantum, & inanibus scholæ suæ cavillationibus, artibus, & dolis communitus. Donec autem materies hæc per scholasticas ambages deducta Academico potius more, quam Ecclesiastico agitata fuit, ex nitido Ecclesiæ dogmate in nutantia partium studia, ac incerta problemata diffluxit. Sed dum impari conflictu Molinisticæ Scholæ vitilitigationes cum Canonicis regulis, consecratisque Patrum locutionibus congrediuntur; devictæ illæ prorsus, victrix vero Gratia Dei evadant oportet.

(*b*) Plura calumniose aggerat Adversarius, ut fabellam hanc conflet. Primum quidem, obscuriora esse contendit quæ ex Divo Augustino pro efficatrici Gratia testimonia proferuntur: eaque dicta vult *in termini per lo meno oscuri, dubbiosi, e capaci di più significati*. Ita in Thesim VI. Colleg. S Laz. Inter illa vero obscure dicta, hæc recenset: *Deus dat quod jubet: Deus facit ut faciamus: Operatur in nobis velle credere: Quid habes, quod non accepisti &c.* Mirum sane! D. Augustino hærere se jactat Scriptor impudens; tantumque Doctorem alte commendare non dubitat hisce verbis: *Alla cui dottrina, derivata dalla sorgente purissima delle Divine Scritture, massime in materia di Grazia, e Teologi, e Padri, e Conci'j a lui posteriori tutti sempre si attennero; onde per antonomasia detto fu il Dottor della Grazia*. Atque ibidem nihilominus obscurum affirmare non erubescit, quod S. Doctor perspicuum vocare non ambigit: & quam ipse Adversarius Divinæ Scripturæ doctrinam, a S. Patre haustam, fatetur, *sorgente purissima*, turbidam modo compellat. Verumtamen S. Parens de eodem Apostoli loco differens, *Quid habes quod non accepisti?* (quod Adversarius inter obscura & dubia connumerat), ita triumphum canit: *Vicit Gratia Dei; nec nisi ad illud potuit perveniri, ut LIQUIDISSIMA VERITATE dixisse intelligatur Apostolus: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Lib. 2. Retra. c. 1. Item lib. 5. cont. Julian. c. 9. *Audi ergo APERTISSIMAM SENTENTIAM MEAM; vel fine intellige re alios, non offundendo caligines nebulosæ disputationis SERENITATI SINCERISSIMÆ VERITATIS*. Et de Prædest. SS. c. 5. (Paulinum illud inculcans, *Quis tè discernit?*) *Ut hac EVIDENTISSIMA INTENTIONE contra huma-*

humanam superbiam loquatur (Apostolus) , *ne quisquam in homine* , *sed in Domino glorietur* . En igitur quantum ex diametro obluctetur Adversarius noster in S. Augustinum , dubia vocans , obscura , ambigua quæ S. Parens ad *liquidissimam*, *apertissimam* , *evidentissimamque veritatem* perducta, palam declarat .

Altera calumnia occurrit . Ni forte *obscura* velimus D. Augustini sensa, verba saltem *impropria* esse , oblatrat Adversarius . *Di ciò* (ait ibidem) *lo stesso S. Agostino ne rende giusta testimonianza* , *così esprimendosi* : „ Pauca sunt enim , quæ proprie loquimur , *cioè con stile semplice* , *e letterale* ; plura non proprie , *cioè con stile allusivo* , *e figurato* ; sed agnoscitur quid velimus “ . Confess. l. 11. c. 20. *E di tal sorta al certo sono li testi riferiti di S. Agostino* . Quam ridicule tamen , & futile ! Sermonem instituit Molinista de Libris , quos S. Doctor scripsit *nelle Dispute* , *che ebbe contro Pelagio intorno la Grazia* . Deinde assumptum probat ex Libro Confessionum , quem S. Parens exaravit Pelagiana hæresi nondum exorta . Præterea id , de quo loquitur S. Doctor in præcitato Capite , toto cælo distat ab argumento Gratiæ : agit enim de vulgaribus loquendi modis circa tempus præteritum , præsens , & futurum , qui aliter quidem a vulgo , aliter a Philosophis usurpantur . Unde inquit : *Dicatur etiam* , *tempora sunt tria* , *præteritum* , *præsens* , *& futurum* , *sicut abutitur consuetudo* : *dum tamen intelligatur quod dicitur* ; *neque id* , *quod futurum est* , *esse jam* ; *neque id* , *quod præteritum est* . *Pauca sunt enim*, *quæ proprie loquimur* (vulgari hac , & abusiva consuetudine) , *plura non proprie* : *sed agnoscitur quid velimus* . Applica modo & ad rem nostram : lubens enim assentior . *Agnoscitur quid velimus* . Quanto magis ergo agnosci quid velimus dicendum est , ubi S. Pater *sincerissima* , *liquidissima* , *apertissima* , *& evidentissima* se loqui profitetur ! Unum vero hic moneo : evanidum illud Adversarii objectum vigesimam esse ex duabus supra viginti propositionibus a Molinistis hac de re contra D. Augustinum jam pridem editis , atque a Generali Hispaniarum Inquisitione anno 1650. damnatis , videlicet : *Augustini locutiones* , *quamvis aliquo sensu veras* , *improprias tamen esse* , *nec passim frequentandas* . Sed graviora imminent .

Tertia Adversarii calumnia est , quod si vocabula illa *obscuritatis*, & *improprietatis* ad palatum nobis minime fuerint , id saltem admittendum sit , Divi Parentis locutiones *emphaticas* esse (veretur dicere *hyperbolicas* propriori vocabulo ; *emphasis* enim non est minus significans , sed plus significans , quam dicens) ac *sublimiores* , quam ferat communiter acceptus loquendi modus ; adeoque in sensu obvio nequaquam intelligendas . *Il fatto sta* (subdit enim) , *che S. Agostino nelle dispute* , *che ebbe contro Pelagio intorno la Grazia* , *scrisse per lo più con uno stile alto* , *enfatico* , *e figurato*; *imitando in ciò il linguaggio del suo gran Maestro* , *cioè dell' Apostolo delle Genti ec. Questa prerogativa* (*di poter così parlare*) *è specialissima del nostro S. Agostino* , *di cui Celestino Papa disse* : „ Augustinum sanctæ recordationis Virum . . . . numquam sinistræ suspi-„ cionis rumor saltem aspersit &c. “ *Ma trattandosi di noi persone private*,

13

te, che manchiamo di tutte quelle alte prerogative, le quali adornavano, e privilegiavano que' Santi e dotti Uomini in qualità di pubblici Maestri della Chiesa, nò che non sono lecite somiglianti formole, proferite in termini sì assoluti, senza veruna esplicazione, che a un senso univoco e sano le ristringa . . . . E tale è la pratica della Chiesa, &c.

Verum id quoque negat S. Augustinus ipse de don. persev. c. 17. *Ego* (inquit) *NOLO EXAGGERARE MEIS VERBIS : sed illis potius cogitandum relinquo . . . . cum Propheta clamet : Maledictus qui spem ponit in homine*. (Emphaticum certe hoc, sed Divinum.) Ait quod ad hominem magis est, bifariam hic Adversarius suo ipse rete se implicat, ac pugione jugulat. Primo quidem quod S. Parentem nostrum præconiis extollere simulans, testimonium profert ex S. Cælestini Epistola ad Episcopos Galliæ, ubi in prolusione ad Fidei Capitula ibidem adnexa legitur, Massilienses Semipelagianos, qui eumdem Augustinum in Pelagianis exagitandis debitos modos prætergressum vocitabant (quod est dicere, *exaggerasse* illum, & *emphatice* in adversario sensu locutum esse), acriter correptos fuisse a Sancto Pontifice gravissimis his verbis : *In damnatis hæreticorum sensibus seu pravitate, seu imperitia demorantes, piissimis disputationibus* (sicuti Thesibus S. Laxari) *obviare præsumunt ; & cum Pelagium atque Cæestium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, TAMQUAM NECESSARIUM MODUM EXCESSERINT, obloquuntur*. Alterum vero, quod in caput suum Placentinus Molinista congessit, est Ecclesiæ exemplum, quod imitandum nobis proponit, inquiens : *Conciosiachè noi abbiamo diritto soltanto, che le locuzioni nostre siano intese nel senso ovvio, e naturale, giusta il significato, chè il placito comune degli Uomini le dà. E tale è la pratica della Chiesa, la quale nel senso ovvio e naturale delle proposizioni, che esamina, riconosce il senso inteso dall' Autore*. Atqui, inquam ego, Ecclesia cum eodem S. Cælestino ibidem de eodem Gratiæ argumento disserens, *contra nocentissimos liberi arbitrii defensores*, Capitula illa Fidei credenda, & confitenda omnibus proposuit iisdem D. Augustini verbis, & eodem subliniori æque ac veraciori stylo concepta, junctis etiam Africanorum Conciliorum sententiis, ab Augustino ipso dictatis, *quas utique* (ait Pontifex) *suas fecerunt Apostolici Antistites, comprobarunt*. Ergo ea omnia, illudque potissimum Capitulo 6. recensitum, quod *Omnis motus bonæ voluntatis ex Deo sit*, proprie dicta, & in sensu obvio, *secondo la pratica della Chiesa*, sunt intelligendi. Præterea cap. 8. Ecclesiæ preces in medium profert idem S. Cælestinus Papa post Augustinum ipsum. *Obsecrationum* (ait) *sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur, UT LEGEM CREDENDI LEX STATUAT SUPPLICANDI*. Lex ergo Fidei sunt Ecclesiæ obsecrationes. Atqui lex non impropriis, non figuratis, non æquivocis, vel obscuris, vel emphaticis verbis utitur ; sed propriis, strictis, univocis, & in sensu obvio sumendis : ac legi hujusmodi Adversarius ipse fronte subscripsit : *Tale è la pratica della Chiesa*. Ergo dum Ecclesia in *SOLA spe Gratiæ*

cœlestis innixa rogat : *Deus virtutum cujus est TOTUM quod est optimum : De cujus munere venit , ut tibi a fidelibus tuis digne & laudabiliter serviatur : Fac nos amare quod præcipis : INFUNDE cordibus nostris tui amoris affectum : Ad te nostras ETIAM REBELLES compelle propitius voluntates : Quid efficiamus OPERARE : esto SOLUS & suggestor , ET EFFECTOR judiciorum nostrorum : junge nos tibi EFFICACITER SOLIUS TUÆ GRATIÆ DONO : proprie & stricte hæc* omnia accipienda sunt . *Legem* enim *credendi lex statuit supplicandi* . Addere utique hic liceat cum Sanctissimo Parente nostro : *Roma responsa venerunt : caussa finita est* .

(*c*) Ita passim Molina , ac præsertim par. 1. Concord. q. 23. art. 4. disp. 1. memb. 6. Quem sequuntur Adamus , Annatus , Dechamps , Martinonus , Richardus , Mussius , aliique complures , quos vide sis apud Card. Norisium . Unus pro omnibus sit Card. Bellarminus l. 1. de Grat. & lib. arb. c. 12. , inquiens : *Hæc opinio* (de Gratiæ efficacia ex libero arbitrio suspensa) *aliena est omnino a sententia B. Augustini ; & quantum ego existimo , a sententia etiam Scripturarum Divinarum ; & evertit omnino fundamentum prædestinationis Divinæ , quam Augustinus ex Divinis literis solidissime comprobavit* . Quid plura ? Molinista ipsemet Placentinus , quamvis in Thesim XL. , & in Corollario hæc obtruderit : *Questi vocaboli di predeterminante Grazia , di Grazia efficace* a se , *sono affatto stranieri alla Dottrina di S. Agostino , e nelle Opere sue possono segnarsi per terra incognita* : & , *de' fisici costitutivi di questa irresistibilità* (della Grazia) , *su di cui tutta verte la controversia , che fra le due Tomistica , e Molinistica scuola fa tanto strepito ; il Santo* nusquam loquitur . *Punto è questo affatto eccentrico alla sua Dottrina . Chi però volge il pensiero ad investigare nelle Opere sue alcun testo , per oppugnare i fisici costitutivi de' Molinisti , altro non fa , che seminar la fatica* : ille ipse, inquam , contrariæ tamen veritatis lumine perculsus in apertam contradictionem se conjecit , atque infensæ confessioni huic prono calamo indulsit : *Nella Tomistica Scuola , ove sostiensi la Grazia efficace esser tale intrinsecamente , per sua natura* , & a se , *la spiegazione* (*dell'* effectrix) *al certo sarà diversa : così portando il suo sistema , autorizzato non solo dal loro Angelico S. Tommaso , ma IN PIU' LUOGHI EZIANDIO DAL GRANDE AGOSTINO* . Ita in Thesim V. Quam præclare autem dicitur l. 3. Esd. c. 3. & 4. *Super omnia vincit veritas* .

(*d*) Card. Baronius epist. ad Pet. de Villars Archiep. Vien. ait : *de libris Molinæ remanet controversia . Legi eos , sed non sine stomacho ; cum in illis nihil potentius agere præ se ferat , quam S. Augustinum adversari* (*licet* Sanctum *nunquam nominet*) , *eumque oscitantiæ redarguere , seque illo in iis disputationibus vigilantiorem acutioremque jactare . Quis potest eum talia loquentem absque nausea tolerare* ? Et Molina ipse loc. cit. *Interea vero sub ea quasi caligine Divus Augustinus hoc non attendit* . Et : *Sancti Augustini doctrina plurimos ex fidelibus non solum*

ſolum indoctos , ſed etiam doctos mirum in modum turbavit , ne dicam illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe periclitatam . Item Joaenes Adamus adverſ. Calvin. p. 3. c. 3. *Ridiculi adoratores* (Auguſtini) *undique divulgant , Sanctum Auguſtinum eſſe fideliſſimum antiquitatis teſtem , uti loquitur Calvinus , præcipuumque Eccleſiæ oraculum* . Scatet autem iſtiuſmodi dicteriis in S. Parentem noſtrum Libellus ſub Launoji nomine , a Clemente XI. inuſtus , cui titulus : *Veritable tradition de l' Egliſe ſur la predeſtination & la grace &c.* Demum in citatis (nota *b*) Moliniſtarum Theſibus , a Generali Hiſpaniarum Inquiſitione An. 1760. die 18. Martii proſcriptis , S. Auguſtini doctrina *Pædagogia* dicitur *miſeram faciens Eccleſiam , ruſticana , dura nimis , indignaque Divina bonitate , Sacrarum Literarum auctoritatem enervans , & ludibrio infidelium exponens , partimque ab Apoſtolica Sede in terminis damnata* . Quæ omnia & ſingula ſacrum illud Fidei Tribunal ampliſſimum cenſura hujuſmodi confixit : *Præfatæ propoſitiones ſunt reſpective falſæ , improbabiles , abſurdæ , maleſonantes , piarum aurium offenſivæ , temerariæ, erroneæ , ſapientes hæreſim , ſummopere injurioſæ ſanctitati , pietati , & doctrinæ unius ex Eccleſiæ Catholicæ columnis , ſcilicet glorioſiſſimi Patris S. Auguſtini* .

II.

Cum non modo Sanctiſſimus Parens , ſed Divini Verbi oracula , Traditio Apoſtolica, & antiquiorum Patrum auctoritas Gratiæ vires efficaciſſimas colligant ab Omnipotentia Dei (*e*) , quæ certe non moralis , ſed phyſica cauſſa eſt ; cumque Deum bona omnia nobis donantem (*f*) , & bonum ipſum voluntatis uſum operantem in nobis prædicent (*g*) , quæ operatio ſane intrinſeca eſt ; nihilque omnino adſtruant nobis gloriandum in nobis ipſis , qui *nihil habemus quod non accepimus* (*h*) : quantæ profecto dementiæ eſt , ſubleſtum quemdam Moliniſtam conſcribellare , atque in dubium adhuc revocare , num ejuſmodi Gratia proprie , & phyſice efficax ſit , an moraliter tantum ; num ex ſuo penu , an ex alieno fundo ; num ſuapte natura , & ab intrinſeco , an extrinſecus quidpiam emendicet ab eo, *qui exiſtimans ſe aliquid eſſe , cum nihil ſit , ipſe ſe ſeducit* (*i*) .

III.

ADNOTATA.

(*e*) In Scripto Clementis VIII. ex D. Auguſtini ſententiis , & verbis contexto (quemadmodum Theſes S. Lazari) , quod Romæ publicatum

catum fuit die 9. Jul. 1603. , toto Capite quinto id constabilitur : *Hæc gratia habet suam efficaciam ab Omnipotentia Dei , & a dominio quod summa Divina Majestas habet in voluntates hominum , sicut in cetera omnia quæ sub cælo sunt , secundum S. Augustinum* . Ibique ex D. Parente hæc speciatim proferuntur . *Quamvis non negetur Deus posse quem velit , etiam nullo hominum corripiente , corrigere , & ad dolorem salutarem pænitentiæ occultissima & POTENTISSIMA medicinæ suæ potestate perducere . . . . non est ab oratione cessandum pro eis* &c. De corrept. & grat. c. 5. *Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate , ut Divinam voluntatem non impediat , NEC SUPERET POTESTATEM* . Ibid. c. 14. *Qui tamen hoc non facit , nisi per ipsorum hominum voluntates ; sine dubio habens humanorum cordium , quo placeret , inclinandorum OMNIPOTENTISSIMAM POTESTATEM* . Ibid. *Ergo Dominus omnipotens . . . MAGIS HABET IN POTESTATE VOLUNTATES HOMINUM , QUAM IPSI SUAS* : Ib.

Bastida tamen , Jesuitarum caussam agens in Congregatione de Auxiliis die 20. Septemb. 1605. dixit , se prædictum Scriptum communicasse cum omnibus Patribus ex Societate per diversas Provincias dispersis , cum Hispanis , Italis , Gallis ; & ex eorum sententia Caput illud quintum esse respuendum cum iis , quæ in illo habentur . *Hist. de Aux. in Append. n.* 11. Ita porro Molinistæ faventem sibi S. Patrem Augustinum recognoverunt , seque ipsos mirum in modum eidem obsequentes prætulerunt .

Ceterum quod invicta ejusmodi S. Parentis doctrina toti Ecclesiasticæ antiquitati cohæreat , testis est locupletissimus S. Fulgentius . *Hæc itaque* (ait) *Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesia SINE ALIQUA DUBITATIONE doctrina , quam Græci , Latinique Pontifices , Sancti Spiritus infusione firmati , uno atque indivisibili semper tenuere consensu : in qua B. Augustinus indutus virtute ex alto abundantius illis omnibus laboravit* . Lib. de ver. prædest. & grat. c. 18.

(*f*) Neotericus Scriptor , aperte negans doni rationem meritis nostris congruere , & repugnare affirmans donum Gratiæ esse liberum nostrum consensum , in apertam hæresim impegit . Ait enim in Thesim V. *La ripugnanza è manifesta . Il libero nostro consenso tutto non viene dalla Grazia . L'atto salutare del nostro consenso non può semplicemente , ed in termini assoluti e illimitati chiamarsi dono della Grazia di Dio* . Et in Thes XXXII. *Dio non è Autore de' nostri meriti* . Et in XXXIII. *La grazia è bensì ausiliatrice , ma non donatrice de' meriti* . Abutitur autem is Canone 32. Sess. 6. Conc. Trid. , non animadvertens Canonem illum convertibilem esse ex eadem Sacrosancta Synodo cap. 16. ejusdem Sessionis ita decernente , & quidem absoluto decreto , quam quod maxime : *ABSIT ut Christianus homo in se ipso vel confidat , vel glorietur , & non in Domino , cujus tanta est erga omnes homines bonitas , ut EORUM VELIT ESSE MERITA , QUÆ SUNT IPSIUS DONA* . Igitur , *si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei , ut non sint etiam ipsius justificati merita* ,

anathema sit . Itemque potiori jure (de jure enim fontis agitur) : *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse ipsius merita , ut non sint etiam dona D i , anathema sit* , Adversarius utrumque dicit , dum *manifeste repugnare* contendit , *donum gratiæ esse liberum nostrum consensum* . Ergo &c.

In Concilio Arausicano II., cujus Canones a Felice IV. ad Patres illos transmissi sunt , & a Bonifacio II. confirmati, atque ab universa Ecclesia ut Fidei regula recepti , sic pariter definitum est Can. *6. Si quis . . . . ut obedientes , & humiles simus , ipsius gratiæ donum esse non consentit , resistit Apostolo dicenti : Quid habes , quod non accepisti ?* & , *Gratia Dei sum id quod sum* . Nonne vero & hoc *absolute* dictum ? nonne *simpliciter* , atque *in termini illimitati* ? Siquidem nullo certè limite concluditur Divinum illud , *Quid habes quod non accepisti ?* & , *Gratia Dei sum id quod sum* . Ita can. 22. *NEMO HABET DE SUO , NISI MENDACIUM ET PECCATUM* . *Si quid autem* (nota bene , *si quid*) *habet homo veritatis atque justitiæ , ab illo FONTE est , quem debemus sitire in hac eremo* . Et can. 25. *PRORSUS DONUM DEI EST diligere Deum : ipse ut diligeretur dedit , qui non dilectus diligit* . Auditin ? *Prorsus* : ergo *in termini illimitati* . Si vero *prorsus donum Dei est diligere Deum* , & in hac dilectione omnis meriti ratio consistit (*si enim caritatem non habuero , nihil mihi prodest* 1. Cor. XIII. 3.) *prorsus* ergo , & indubitanter dona Dei sunt universa merita nostra . Item *Ipse* (Deus) absolute & simpliciter ; *ut diligeretur dedit* : absolute , inquam , & simpliciter ; quia *Nemo habet de suo , nisi mendacium & peccatum* . *Ac sic* , prosequitur Sancta Synodus , *secundum suprascriptas Sanctarum Scripturarum sententias , vel antiquorum Patrum definitiones* (rursum nota bene , *definitiones*) *hoc Deo propitiante prædicare debemus ET CREDERE* . Ergo &c. Animadverte insuper quomodo & illud Adversarii nostri improbatum hic veniat , quod in Thesim VI. obgannire audet : *A noi non sono lecite somiglianti formole* : cum Ecclesia e contra jubeat : *Ac sic Deo propitiante PRÆDICARE DEBEMUS , ET CREDERE* .

Non aliter Divus Parens l. de corrept. & grat. c. 7. *Gratia illis* (electis) *est OMNE MERITUM* (ecce iterum *in termini illimitati : GRATIA OMNE MERITUM*) . Et epist. 194. al. 105. n. 19. *Omne bonum meritum nostrum NON IN NOBIS FACIT , NISI GRATIA* (quam clare dictum ! *Omne nonnisi gratia*) : *& cum Deus coronat merita nostra , NIHIL ALIUD CORONAT , QUAM MUNERA SUA* (quid luculentius ? *nihil aliud , quam munera sua*) . Hinc jure merito eruditi Patres Maurini in Editione Operum S. Bernardi ad Caput 13. Lib. de Grat. & lib. arb. titulum hunc apposuere : *Merita hominis MERA esse Dei munera* . Quod pariter habet Oratio ad Deum a Benedicto VII. edita , qua in Sacris Congregationibus utuntur Summi Pontifices , nempe : *Junge nos tibi efficaciter SOLIUS TUÆ GRATIÆ DONO* . Quamobrem maximo utique pudore suffundatur modo opus est Molinista noster , qui in Theses XXXI., & XXXII. tam impudenter & impie scriptitavit : *Negasi , che li meriti*

de'

de' Santi sieno meri Doni di Dio . Che puri e soli doni di Dio sieno i meriti de' Giusti , è ciò che il Tridentino condanna . Che i meriti dell'uomo giustificato sieno meramente gratuiti , questo è Eretico .

At perpetua Adversarii allucinatio in eo est , ut materiam donorum a ratione doni distinguere nesciat . De materia quidem donorum scriptum est : *Divisiones gratiarum sunt* ; de ratione vero doni : *Idem autem Spiritus , qui operatur omnia in omnibus , & ubi vult spirat* . . 1. Cor. XII. 4. 6. , Jo. III. 8. Porro in actibus præmio dignis materia doni est liber ipse voluntatis consensus, libera ipsa salutis opera , quæ suapte natura differunt a præcedentibus aliis donis vel indeliberatis , vel imperfectis : ratio autem doni , quæ integra ubique perstat , mera Dei liberalitas est . Quandoquidem & ipsa Dei beneficia , quæ gratuita ejus misericordia sic disponente , beneficia alia consequuntur , iisdemque connexa vel adnexa sunt, per Christianam analysim in mera dona Dei semper resolvuntur . Idipsum est de ratione meriti , cujus pars nulla extat a natura (quæ merito donatur tantum , dum acta agit) , sed totum ex gratia ; ex supernaturali scilicet vivificantis spiritus influxu , ex unione cum Christo, ejusque meritorum participatione , ex libera promissione Divina , ex mero tandem Dei beneplacito : dictante ipsa Tridentina Synodo , quod nonnisi *per Dei gratiam , & Jesu Christi meritum , cujus vivum membrum est (justificatus homo)* , *bona opera fiunt* ; ac præ immensa *erga homines* Domini *bonitate* (non præ justitia) *voluit* ipse *Dominus* (non velle debuit) , *eorum esse merita , quæ sunt ipsius Dona*. Sess. 6. cap. 16. & can. 32. Quare hæretica palam est & ea Adersarii propositio , quam sui systematis propriam recognoscit in Thes. XXXI. & XL. *secondo la prima Ipotesi* (Molinistica) *in chi deve ricevere il premio vi è qualche cosa IN GENERE MERITORIO , che può essere causa obbiettiva della prescienza Divina (prima del Decreto collativo della Grazia)*.

(*g*) *Philip. II.* 13. Ut percelebre illud Apostoli oraculum eluderet Adversarius , a Divo Parente nostro passim usurpatum , nempe : *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate* ; ad turpem Honorati Tournely technam & fraudem confugere non est veritus , quam nemo adhuc , quod noverim , detexit ; ideoque operæ pretium est eam tandem sub dio ponere . Dicitur ergo in Thesim IV. *Chi* mai dirà , *che* velle , & consentire , *non sieno due termini , che significano lo stesso ? Chi lo dirà ? S. Agostino medesimo . Ecco un testo , in cui il Santo fa uso di amendue i termini* , velle , & consentire ; *e ne fa uso a spiegare due proposizioni tra loro ben differenti , per non dirle del tutto opposte , le quali formano il complesso del testo medesimo* . " His ergo modis, *così* „ *il Santo* (de Spir. & lit. c. 34.) quando agit Deus cum anima ratio- „ nali , ut ei credat . . . . . , profecto & ipsum velle credere Deus „ operatur in homine , & in omnibus misericordia ejus prævenit nos : „ consentire autem vocationi Dei , vel ab ea dissentire , sicut dixi , pro- „ priæ voluntatis est " . *Potea il Santo esprimersi con più di chiarezza*

ſu queſto punto ? Al certo tanto è atto della volontà il velle , *quanto il* conſentire : *ma giuſta la fraſe , e modo di dire del Santo , avvi queſta differenza , che il* conſentire *è atto della volontà non ſolamente vitale , ma eziandio ſempre libero ; laddove il* velle , *regolato qual caſo dopo dei verbi* do , dono , operor , *è atto meramente vitale , e conſiſte in una pia indeliberata mozione di Dio , fiſicamente prodotta nella volontà noſtra . ec. Queſta ſpiegazione in quanto alla ſoſtanza non è mia : ella è d'un Teologo celeberrimo , come apertamente l'Opere ſue ce lo dichiarano , cioè del Sig. Onorato Tournely* . " Hæc quippe duo opponit , *cioè il Santo* , velle credere , & conſentire vocationi Dei : primum vult eſſe Dei ; ſecundum „ voluntatis humanæ Divina gratia præventæ . Ergo ibi Auguſtinus ideo „ ait conſenſum eſſe propriæ voluntatis , quia Gratia præveniens eſt quidem voluntatis actus , ſed indeliberatus , adeoque minime liber ; ipſe „ vero conſenſus liber eſt , quia poſſumus gratiam illam prævenientem „ diſſentiendo fruſtrare ſuo effectu ; & conſequenter recte dicitur conſenſus proprie ad voluntatem pertinere " . *Tornely de Grat. Chr. par. 2. q. 7. ar. 2. concl. un.*

Aſt vafri ambo Scriptores allatum S. Auguſtini textum inſidioſe corruperunt , & infideliter detruncarunt , tacita ea puncta ſubſtituentes clauſulæ illi , ubi S. Doctor liquido commonſtrat , non ſe loqui jam de motionibus indeliberatis , ſed omnino de deliberata ipſa voluntate , quam Deus operatur in nobis fidei conſentientibus ; ut proinde *velle credere , & conſentire* unum ſibi prorſus & idem ſit . En locus ipſe ex integro reſtitutus . *His ergo modis quando agit Deus cum anima rationali , ut ei credat ; neque enim* (hoc reſectum fuit) *credere poteſt quodlibet LIBERO ARBITRIO , ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio , cui credat : profecto ET IPSUM velle credere* (attende , *ipſum* , quod nuper dictum eſt *credere libero arbitrio*) *Deus operatur in homine* ; *& IN OMNIBUS*) attende iterum , *in omnibus*) *miſericordia ejus prævenit nos* : miſericordia illa nempe , de qua S. Parens cum D. Paulo tam crebro inculcat , quod *non volentis , neque currentis* (currere utique ſemper deliberatum eſt) , *ſed miſerentis eſt Dei* . Papæ , ſic Moliniſtis favent Sancti Eccleſiæ Patres . Tam belle Sanctis Patribus Moliniſtæ coutuntur . Quoties revivi P. Valentia & poſt acerbum obitum !

Quod vero ait D. Auguſtinus . *Conſentire autem vocationi Dei , vel ab ea diſſentire , propriæ voluntatis eſt* , hoc eo reſpicit , quemadmodum ex contextu liquet , ut diſtinguat opus Dei in *libero animæ rationalis arbitrio* , ab opere Dei in *viſorum ſuaſionibus* , de quibus paulo ante loquitur . Quod enim S. Auguſtino indeliberatum eſt , *ſuaſiones* ſunt & *vocationes* : quibus *velle credere* , jam procul dubio deliberatus ipſe conſenſus eſt , ac *ipſum credere libero arbitrio* . Sed *viſorum ſuaſiones* ad intellectum pertinent : *conſentire autem propriæ voluntatis eſt* ; proprium ſcilicet voluntatis officium . At priuſquam voluntatis officium , aſſerit illud S. Doctor eſſe opus Dei , non minus ac ipſas viſorum ſuaſiones , quis *agit Deus cum anima rationali , ut ei credat* . *Profecto* namque *& ipſum velle credere*

dere Deus operatur in homine. Utrumque ergo Dei opus est ; sed alterum incipiens, alterum perficiens ; alterum attentos reddens, alterum intentos. Opus denique hoc est operantes faciens, non otiantes, nec mere patientes : siquidem de Corrept. & Grat. c. 20. Divus idem Pater sapientissime monet : *Intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei, se agi, ut quod agendum est agant ; & cum egerint, illi a quo aguntur, gratias agant : aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant*. Et alibi : *Certum est, nos velle cum volumus ; sed ille facit ut velimus bonum : certum est, nos facere cum facimus ; sed ille facit ut faciamus*. De Grat & lib. arb. c. 16. Item : *Quis non videat, & venire quemquam, & non venire libero arbitrio voluntatis ? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit : non autem potest nisi adjutum esse, si venit ; & SIC ADJUTUM* (non *tunc*, sed *sic* adjutum), *ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat*. De Grat. Chr. c. 14.

(h) 1. *Cor IV.* 7. De hoc textu loquens D. Augustinus l. 2. Retract. c. 1., luculentissimum addiicit S. Cypriani testimonium his verbis : *Quod volens etiam Martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit, dicens : In nullo gloriandum, quando NOSTRUM NIHIL EST*. S. Cypr. l. 3. testim. c. 4. Quod si porro nihil nostrum est ne in naturali quidem ordine (qui totus a Deo profectus, ad ordinem Gratiæ ordinatur, unde solum perficitur) ; quanto magis in ordine supernaturali, qui in summo atque infinito bono consistit, vel eo tendit ! Quod porro Sancti ejusdem Parentis nostri argumentum est, idemque efficacissimum. *Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse bona, vel mala ; bona vero voluntas ex nobis est : melius est id, quod a nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateamur etiam bonam voluntatem nos Divinitus adipisci*. De pec. mer: & remiss. c. 18.

Necessario igitur efficax ab intrinseco est Gratia Dei, si nihil prorsus est nostrum, unde efficaciam sortiatur. Secus quid aliud est, quæso, Gratiam efficacem dicere non a se, nisi verbis abuti, affirmantia cum negantibus confundere, contradictoria complicare, atque efficax & inefficax pro uno eodemque accipere ? Sed hæc ex Dialectice humana. Quid vero ex Logice Verbi Dei ? Profecto si non ab intrinseco Dei Gratia efficax est, ergo intrinsecus est in nobis unde gloriandum, non in Domino. Si non ex natura sua ; ergo ex natura nostra, quod Catholicæ aures semper horruerunt ? Si non a se ; ergo non ab eo, unde omnia accepimus ; sed ab eo qui accipit, quique a se nihil est ; ac proinde a nobis *quasi ex nobis* sufficientes sumus ad *aliquid* ; nec *OMNIS sufficientia nostra ex Deo est* : quæ omnia aperte refragantur Apostolo. 1. *Cor. IV.* 7. *Gal. VI.* 3., 2. *Cor. III.* 5. si tandem non physica, sed moralis est efficacia illa ; ergo non *Regnum Dei intra nos est*, imperium scilicet, supremumque dominium (*Luc. XVII.* 21.) ; sed consilium tantum

tum

tum, ſuaſio, atque directio; quod non regnantis & dominantis eſt, ſed adſiſtentis, adnitentis, inſervientis, imo & indigentis. Atqui *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Pſalm. XV. 2.

(*i*) *Gal. VI.* 3. Ergo qui & ſic docet, ſeducit & ceteros. Verumtamen nos potius ab Adverſariis ſeductores dicimur. Solatur tamen nos S. Parens, ubi ait: *Hoc appellabatur nomine Dominus Jeſus Chriſtus, ad ſolatium ſervorum ſuorum, quando dicuntur ſeductores*. In Pſal. LXIII. 7. ſubeat ergo modo Neotericus Scriptor in Corollario inquiens: *Su di queſto ſoggetto abbiamo nemici, che ci ſtan ſempre a fronte, e ſempre in armi; e rivolgendo di continuo in loro penſiero la rovina della Romana credenza, giungono per fino a guattarſi tra gli odoroſi fiori, e le verdeggianti erbette, qual ſerpe, per coglierci inſidioſamente col velenoſo lor morſo. Dico de' Gianſeniſti, i quali ſulle tracce delle condannnate propoſizioni del ſuo Maeſtro, e del ſuo Libro intitolato* Auguſtino-Janſenius, *s'arrogano d'eſſer i ſoli fedeli Interpreti della vera Agoſtiniana dottrina; nel mentre che la deformano, la depravano, e traendola in ſenſo affatto illegittimo, con deteſtabile abuſo, e ſommiſſima ingiuria del S. Dottore, ſe ne ſervono a ſoſtenere l'ereditato Eretico dogma, quale ſi è il negare la ſufficiente grazia, ed affermare una grazia efficace, che colla ſua poſſanza proſterni la libertà d'indifferenza nell' uomo*.

Sic porro Maſſilienſes olim S. Parentem noſtrum falſi dogmatis incuſabant, *ut tali commento & deteſtationem ejus, quem impeterent, obtinerent; & ab his, quæ infamaſſent, curam exterriti lectoris averterent*: quemadmodum ſcribit S. Proſper Præfat. ad Capitula calumn. Gallor. Verum quid iniquius, ſimulque quid ſtultius, quam quod a ſuaviſſima, & eo vel maxime efficaciſſima Divinæ Gratiæ poteſtate libertas hominis proſterni inſimulatur? Proſterneturne liberum arbitrium, dum ab eo agitur, qui fecit illud, quove nemo melius novit quomodo agendum ſit? Sola ſane ſuperbia hominis proſternetur, mendaci illo antiqui ſerpentis lenocinio nobis injecta: *Eritis ſicut Dii*. Emolumento vero, potius quam detrimento ſit oportet libero hominum arbitrio determinatum iri ab eo, qui ipſa libertas eſt, ac fons libertatis. *Ubi* enim *Spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. III. 17. Et, *Spiritus ubi vult ſpirat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu*. Jo. III. 8. Audi S. Anſelmum de lib. arb. c. 2. *Poteſtas peccandi, quæ addita voluntati minuit ejus libertatem, & ſi demitur auget, nec libertas eſt, nec pars libertatis*. Audi S. Bernardum de Grat. & lib. arb. c. 1. n. 2. *Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breviter reſpondeo: ſalvatur*. Quod Adverſarius ſic interpretatur: *Il noſtro arbitrio dunque che fa? La libertà noſtra ov' è? Riſpondo brevemente:* Salvatur; *cioè l'efficacia della grazia niente pregiudica alla libertà d'indifferenza; il noſtro libero arbitrio ſi ſalva*. in Theſ. IV. Is nempe de Scholaſtica tantum ſalute ſollicitus eſt: Doctor vero Mellifluus de Chriſtiana. Mox enim pergit:) *Tolle liberum arbitrium; & non erit quod ſalvetur:*

tolle

tolle Gratiam; ***NON ERIT UNDE SALVETUR*** . *Opus hoc sine duobus effici non potest: uno: a quo fit; altero, cui vel in quo fit* . ***NEC DARE SALUTEM , NISI DEUS*** ; *nec capere valet , nisi liberum arbitrium*.

Non tamen propterea & miseram illam falsique nominis libertatem , quæ comes est peregrinationis nostræ , semper ad lapsum prona , tollit omnino victrix Gratia Dei . Quamvis enim reapse felici momento illo , quo Deus ad bonum voluntatem hominis trahit , infelicem peccandi libertatem præoccupet (juxta illud 1. Jo. III. 9. *Quoniam semen ipsius in eo manet, non potest peccare*) ; non ideo tamen naturalem ejusdem voluntatis deficiendi potentiam penitus absorbet, quæ ex se se apta nata est etiam ad resistendum Gratiæ, si sibi ipsi in decernendo relinquatur . Est itaque Gratia per se quidem irresistibilis ; sed (ut S. Parens dicit de Grat. Chr. c. 47.) Gratia *ad velle* , non gratia tantum *ad posse* ; seu ipsa impertita *voluntas & actio* (ibid. & c. 3.) , non inchoata ad volendum & agendum insinuatio : vel (uti Schola loquitur) irresistibilitas tota est in actu secundo , non vero in actu primo ; in sensu composito , non in sensu diviso ; adeoque necessitas, quæ in hominis voluntate inde consequitur , consequentiæ tantum est , non consequentis ; & potentiam quidem simultatis , non simultatem potentiæ ad oppositum excludit ; quæ potentia siquidem opposita non est , sed tantum indifferens . Propterea vero in hujusmodi ingenita indifferentia cum voluntas nostra ad incommutabile bonum convertitur , a bono ipso prævalens efficacia in voluntatem derivatur , quia bonum incommutabile potentia voluntatis nostræ longe majus est . E converso autem cum ad bonum commutabile voluntas deflectit , ipsa in caussa est, ipsique jure tribuitur , cujus vis atque potestas quocumque commutabili bono se præstantiorem sentit , nec tamen præstantissimo bono , quod naturaliter semper appetit , voluntarie consentit .

I I I.

Scientiam mediam de medio tollendam , atque eliminandam , & nova & vetera Jura conclamant (k). His ergo , plusquam nobis , injurium se prodit Molinista noster , affirmare audens , *pari Jure* cum Schola nostra suam contendere (l) . Porro SS. D. N. CLEMENS XIII. feliciter regnans (sitque in ævum regnaturus) dum expresse tandem Molinismum confutandum , & Gratiam ab intrinseco efficacem sustinendam Apostolica Autoritate demandavit (in Brevi *Ecclesiæ Catholicæ* 8. Jul. 1760.) , quantum distent æra lupinis , satis discrevit , ac rem pene confecit . (m)

ADNO-

ADNOTATA.

(k) Ad hæc Jura innuenda antequam deveniamus (quod in sequentibus Notis fiet), quædam de Scientiæ mediæ natura, ejusdemque arctissima cum vetustis erroribus affinitate delibanda censemus. Idque potissimum non nostris verbis, sed omnino vel Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum testimoniis, vel iisdem adversantium Etherodoxorum, atque ipsius Adversarii nostri contextibus & confessionibus persequemur.

Ac primo quidem S. Prosper Epist. advers. hæreticos (Semipelagianos) eosdem inducit ineptæ istiusmodi hypothesis autores, qui primitus in Deo excogitarunt scientiam eorum, quæ sub conditione aliqua futura dicuntur, tamquam ab ea distinctam, quæ possibilium est, aut eorum quæ reapse futura sunt. *Futura* (inquit) *quæ non sunt futura consingunt; novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sunt; & præscita actu non sunt*. Sub ejusmodi autem scientia gratiam a Deo impertiri obtendebant: unde scientia futurorum scientiæ illi mediæ postera necessario adstruebatur. Et hoc proprium eorum, atque commune fuisse systema, testatur idem Aquitanus Pater epist. ad Aug. hisce verbis: *Pene omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt: quia finem uniuscujusque præviderit, & SUB IPSO GRATIÆ ADJUTORIO* (N. B.) *in qua futurus esset voluntate & actione præscierit*. Excandescit autem hic S. Fulgentius l. de Incarn. & gr. c. 29. *O quam pessimum nefas asseritur! Ita ne rerum ordo credi putarive permittitur, ut Deus, qui Creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare; & qui nullius eget adjutorio ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, PRIUSQUAM IN HOMINE IPSUM VELLE REPERERIT?* (Operantem ergo Deum vel in hominis voluntate non inficiabantur Semipelagiani, sed postquam ipsum velle in hominis voluntate per præscientiam reperisset, quemadmodum & Molinistæ.) *Hanc amentiam*, succlamat S. Episcopus, *& a fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus*. Quod ergo in Thesi diximus, *scientiam mediam de medio tollendam, atque eliminandam*, non nostra sententia est, sed Ecclesiæ Patrum.

Verum Pelagius ipse tot tantisque sacrarum Literarum testimoniis apertissimis a D. Parente nostro concussus, etsi nondum devictus, eo tandem devenit, ut adjutorium illud, quod scientiæ mediæ finibus coercetur, lubens quoque admitteret, ac præter legem & doctrinam, gratiam etiam interiorem minime respueret (quidquid demum post tot impostores alios Placentinus Scriptor secus effutiat); eamque nedum ad mentis illustrationem, sed ad cordis usque excitationem necessariam non diffiteretur. Accipe ejusdem verba ab eodem S. Augustino de Grat. Chr: c. 6. *Quam nos* (gratiam) *non, ut tu putas, in lege tantummodo; sed & in Dei esse adjutorio confitemur . . . . Adjuvat enim nos Deus per doctrinam, & revelationem suam* (en interna revelatio præter doctrinam exteriorem); *dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura*

ra demonstrat; *dum diaboli pandit insidias*; *dum nos MULTIPLICI ET INEFFABILI* (præter jam dicta) *dono gratiæ cælestis illuminat*. Et ex cap. 5. *Ergo* (Pelagius idem loquitur) *in voluntate & opere bono laus hominis est*; *immo & hominis & Dei*, *qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit* (potentiam scilicet naturalem), *quique ipsam possibilitatem* (*ipsam* nempe *voluntatis & operis*, quod accurate notandum) *GRATIÆ SUÆ ADJUVAT SEMPER AUXILIO*. *QUOD VERO POTEST HOMO VELLE BONUM ATQUE PERFICERE*, *SOLIUS DEI EST*. Quid apertius? Quidve amplius Molinistæ adjutorio Dei concedunt? Sed pergit adhuc Pelagius ex cap. 10. *Operatur* (Deus) *in nobis velle quod bonum est*, *velle quod sanctum est* (ecce gratia quoque *ad velle*, nedum *ad posse*; ast detorto sensu, vel diminuto, ut cum Congruistis solet Adversarius); *dum nos terrenis cupiditatibus deditos* . . . . *futuræ gloriæ magnitudine*, *& præmiorum pollicitatione succendit*; *dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei STUPENTEM SUSCITAT VOLUNTATEM*; *dum nobis SUADET OMNE QUOD BONUM EST*. Nec ea tantum dixit hæreticus homo, ut facilius quidem per gratiam, aliquatenus tamen vel sine gratia bonum nos velle aut agere posse intelligeretur: sed omnino ut sine gratiæ adjutorio nullius boni ad salutem præstandi facultas nobis quoquomodo suppeteret. Ait enim, *possibilitatem ipsam voluntatis & operis gratiæ Dei auxilio SEMPER* (non aliquando, non sæpe, nec sæpius tantum, sed *semper*) *adjuvari*. Itemque *a Deo nobis suaderi OMNE*) non aliquid, non plura, aut plurima, sed *omne*) *quod bonum est*. Ac Semipelagiani quoque in hoc itidem consentiebant, quemadmodum ex eodem Divo Parente elucet de Prædest. SS. c. 2. *Eodem modo saltem servant locum gratiæ*, *ut sine illa putent hominem posse habere boni*, *sed imperfecti cupiditatem* (boni scilicet naturalis, seu moralis); *perfecti autem non facilius per illam posse*, *sed nisi per illam omnino non posse*. Cui concinit S. Prosper Carm. de Ingrat. par. 2. c. 15.

Et nos ista, *inquis*, *sentimus de bonitate*
Ac virtute Dei, *QUÆ NI FOVEATQUE*, *REGATQUE*
QUOS VOCAT, *& tutos peccato præstet ab omni*,
NON SUA SERVABIT QUEMQUAM PRUDENTIA, *NEC SE*
PERFICIET SOLIS NATURÆ VIRIBUS ULLUS.
Sed quia jam nobis & velle & nolle creatum est,
Arbitrioque sui quo vult intendere motus
Libertas ACCITA potest, *patuitque per aurem*
Judicio cordis quo mundum proposuisset
Consilio servare Deus; *MENS EXCITA longum*
Excutiat somnum, *seque illi subdat*, *& aptet*,
Qui cupidam & fidam promissa in gaudia ducat.

Quin imo S. Hilarius epist. ad Aug. testatur, Massilienses hujus furfuris

C viros

viros summo tandem consensu id posuisse : *Ad nullum opus vel incipiendum , nedum perficiendum , quemquam sibi sufficere posse .*

Unum porro apprime notandum hic superest : nimirum non hoc Pelagio , vel Fausto , vel ceteris improbatum fuisse , quod ficte & subdole , non ex animo ea profiterentur ; sed quod non secundum Catholicam Fidem ad integram effectricis Gratiæ confessionem pervenissent . Hoc enim patet ex eorum objectis contra Augustinianam doctrinam : quæ non aliter tamen Augustinus ipse , aliique Patres refellebant , nisi verbo Dei , & Ecclesiæ traditione , in qua tamquam præpotentiori firmissime insistentes , de omnibus triumphabant . Palam ideo evincit S. Pater , non sufficere , *sive in lege atque doctrina , sive UBILIBET constituant* (Pelagius , vel quisquam Pelagiani erroris particeps) *Divinæ gratiæ adjutorium*. De grat. Chr. c. 8. Hoc totum quippe ad gratiam pertinet suadentem , invitantem , allicientem tantum , ac posse quidem præparatione quadam ancipiti adjuvantem , sed non ipsum velle & agere in nobis revera efficientem , quæ etiam ac prorsus a Deo petenda S. Doctor conceptis verbis perpetuo reclamat . *Venire posse* , inquit ibidem c. 14. , *in natura* (pridem) *posuit Pelagius , vel etiam , UT MODO DICERE CÆPIT , in gratia , QUALEMLIBET illam sentiat* (bene notet Adversarius tò *qualemlibet* , uti superius dictum *ubilibet*) , *qua ipsa , ut dicit , possibilitas adjuvatur : venire autem , jam in voluntate & opere est . Non est autem consequens , ut qui potest venire etiam veniat , nisi id voluerit . atque fecerit . Sed omnis qui didicit a Patre* (nota , *omnis* , & *a Patre*) , *non solum potest venire , sed etiam venit* (utpote tractus a Patre , ex Jo. VI. 44. 45.) : *ubi jam & possibilitatis profectus , & voluntatis affectus , & actionis effectus est* . En proinde Gratia vere , & vi sua efficax , cujus consequens semper est , certum , atque universale , consensus : consequens , inquam , non ex eo quod didicit Pater ex scientia media (ubi sane non omnes edocti veniunt), sed ex eo , quod discunt filii ex sapientia Patris , specialiori modo instructi , idest vere paterne ac misericorditer ; unde omnes intime concipientes dulce semen Dei , suaviter illecti , fortiterque attracti , & libenter veniunt , & alacriter currunt , & ad eum (si perseveraverint) feliciter perveniunt , qui est in sinu Patris , *attingens a fine usque ad finem fortiter , & disponens omnia suaviter* . Sap. VIII. 1. *Omne* enim *datum optimum , & omne donum perfectum desursum est , descendens a Patre luminum , apud quem non est transmutatio , nec* (ut in gratia versatili) *vicissitudinis obumbratio* . Jac. I. 17.

Adstipulatur denique S. Thomas 1. Par. qu. 23. ar. 5. , ubi posteaquam Pelagii primitivam hæresim retulit , ac refutavit , Semipelagianam quoque ita graphice depingit , simulque retundit . *Fuerunt alii , qui dixerunt , quod merita sequentia prædestinationis effectum , sunt ratio prædestinationis ; ut intelligatur , quod ideo Deus dat gratiam alicui , & prædestinavit se ei daturum , quia præscivit eum bene usurum gratia : sicuti si Rex det alicui equum , quem scit eo bene usurum . Sed isti videntur distinguere* (ut Molinistæ ex professo distinguunt) *inter id quod est ex*

gratia,

gratia , & id quod ex libero arbitrio ; quasi non possit esse idem ex utroque . . . . Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio , & ex prædestinatione ; sicut nec est distinctum quod est ex caussa secunda , & caussa prima . . . . Unde & id quod est per liberum arbitrium , est ex prædestinatione .

Jam ergo Adversarius noster in arenam descendat . Pavens ille quidem certamen hoc subire videtur . Inquit enim in Thesim XL. *Quì vedo rinnovarmisi un fiero attacco . Adunque , quì ripigliano gli Avversarj della Molinistica Scuola , giusta il sistema della Scienza Media la libertà creata previene la Grazia : conseguenza , non solo contraria a quanto chiaramente contiensi nelle Opere di S. Agostino , ma opposta alla Sagra Scrittura , ed alle Sante definizioni del Concilio di Trento ; conseguenza , che taluno forse direbbe reliquie del Pelagianismo . L'attacco è fiero ; ed in questo gli Avversarj sogliono fare gli ultimi sforzi .* Quomodo autem hinc se expediet ? Qua ratione se tuendum ducet ? An retrogrediendo ? An renitendo ? An ictum tam formidandum viriliter rejiciendo ? Minime gentium . Ultro ipse hostili districto gladio obviam it , ictui dat locum , vulnusque suscipit detecto pectore , objectæque hæreseos virus , mellitis dumtaxat quibusdam voculis oblinitum , aperto haurit sinu . *Rispondo dunque* (ita ille), *esser vero , che giusta il nostro sistema il futuro condizionato esercizio della volontà creata , o sia la prescienza del medesimo precede la Grazia ; ma la precede soltanto in genere obbiettivo* (hoc est , reipsa, & in se ipso præcedit) . *Imperciocchè se LA SCIENZA DE' FUTURI CONDIZIONATI LIBERI CON PRIORITA' D'ORDINE PRECEDE I DECRETI COLLATIVI DELLA DIVINA GRAZIA , QUESTI ALTRESI' NON PUONNO NON ESSERE PRECEDUTI DA CIO' , CHE FORMA L'OGGETTO DELLA MEDESIMA PRESCIENZA, QUALE E' LA VERITA' OBBIETTIVA DEL FUTURO LIBERO CONDIZIONATO .* Sed nonne hoc , nedum D. Augustino evidentissime contrarium , verum etiam Scripturis Sacris , ac Tridentinis definitionibus adversum , adeoque Semipelagianum dicendum fassus es , Molinista infelicissime ? Tene responsum . *Ma in ciò , che riguarda li Semipelagiani . . . . . , essi faceano precedere il futuro condizionato esercizio della volontà , ossia la prescienza del medesimo in genere di causa meritoria . . . . Ma noi diciamo , che la previdenza de' futuri condizionati liberi con ordine di priorità per nostro modo d'intendere precedi i decreti collativi della Divina grazia in genere soltanto di causa provida , in quanto che Dio non può in senso reale conferire una grazia con providenza degna di se , senza preconoscere il futuro effetto .*

Hic porro mihi videre videor Molinistam ita acquirenda velle beneficia Dei præsoluto pretio consensus nostri , quemadmodum olim Valentia & Sanchez beneficia Ecclesiastica per pecuniam comparari posse præsumserunt . Sicut enim illi Simoniacam labem facile honestandam rati sunt mero verborum fuco , ac sola nominum mutata impositione , pro *pretio* nempe *motivum* dicentes ; ita Molinista noster Semipelagianam luem nullo negotio purgandam confidit consimili prorsus vocularum ludo , pro *caussa* sci-

20

ſcilicet *meritoria* (quæ pretio æquivalet) *cauſſa objectiva* , vel *cauſſa provida* (quæ motivo æquiparatur) nomen ſufficiens . At nullum eſt perfugium . Enim vero Gratiæ dogma omnino prævenientis naturam, ſeu *Miſericordiæ Dei in OMNIBUS prævenientis nos* , dogma quidem Fidei eſt . Hoc autem in confeſſo eſt apud Moliniſtam ipſum . In confeſſo eſt pariter , quod Pelagianæ hæreſis reliquiæ dicendum eſt aſſerere , gratiam a natura præveniri . Tandem in confeſſo eſt , hoc illum palam aſſerere , & ab inceptis nunquam deſiſtere . Jam ergo non nos Adverſario Semipelagianæ hæreſis nigrum theta affigimus , ſed ipſe ultro ſibi impudenter infigit .

Ceterum falſo imponitur Semipelagianis , quod olim Gratiæ prætulerint liberum voluntatis noſtræ exercitium in genere cauſſæ meritoriæ ; niſi hoc intelligas ex conſequenti , ut Pelagio ipſi objectum fuerat , quod tamen ne ipſe quidem poſtremo probandum cenſuit , ſed expreſſe condemnavit , teſte S. Auguſtino l. 2. ad Bonif. c. 8. 10. , & de prædeſt. SS. c. 2. *Ut jam merenti cetera dicantur addi retributione Divina , ac per hoc gratiam ſecundum merita noſtra dari , objectum ſibi Pelagius , ne damnaretur ipſe damnavit* . Præterquamquod nonne ipſemet Adverſarius in Theſim XXXI. id hypotheſi ſuæ proprium accenſet , quod ubi præmium , merces , aut corona a Deo expectanda eſt ex præcedenti præviſione meritorum , quin ad Deum ipſum pertineat donare etiam merita , *vi è qualche coſa IN GENERE MERITORIO , che può eſſere cauſa obbiettiva della preſcienza Divina* ; quemadmodum Nota (f) animadvertimus ? Et nonne propterea ille totus eſt in ſuſtinendo mordicus , *merita Sanctorum non mera eſſe dona Dei , non mere gratuita , non mere , ac ne vere quidem & proprie prædeſtinationis effectus* ; ut ibidem , & ſuperius Nota (b) ſatis perſpeximus ? Si itaque per illum non omne quod eſt meritum , itidem eſt donum ; ſed eſt pars meriti , quæ donum non eſt ; eaque gratiam præcedit in genere objectivo ; ergo manifeſte jam & in genere meritorio . Sed quid manifeſtius , quam ut expreſſis verbis dicentem ipſum audieris : *Vi è qualche coſa in genere meritorio ?* Utique *mentita eſt iniquitas ſibi* . Ut quid ergo jam veteres Semipelagianos de eo culpat Adverſarius, quod ipſi neutiquam expreſſe aſſerebant , is vero tam aperte affirmare & confirmare audet ? Itane ipſo Judice ſontes ab inſontibus diſcriminantur ? Præterea quænam tandem eſt hujuſmodi pars meriti , quæ doni rationem non ingreditur ? Liber ipſe conſenſus ab humanæ naturæ arbitrio Divinæ Gratiæ præſtitus . Atqui per D. Bernardum , cui Adverſarius in Theſ. IV. aſſentitur , *in conſenſu omne meritum conſiſtit* (de Grat. & lib. arb. c. 14.) Ergo in natura per Adverſarium omne meritum conſiſtit . Quamobrem conſequentius ille locutus eſt , dum in Theſ. XXXII. & XXXIII. abſolute ait : *Dio non è autore de' noſtri meriti : La grazia è bensì auſiliatrice , ma non donatrice de' meriti* : quamvis in Theſim XXXI. etiam confeſſus ſit : *Che i meriti de' Giuſti ſieno doni di Dio , è di Fede* . Quare & hic quoque , ut ſæpe alias , objiciendum ei venit illud Lucæ XIX. 22. *De ore tuo te judico* . Rurſum ex Tournely , quem Adverſarius lau-

laudat & sequitur, *Gratia præveniens est voluntatis actus indeliberatus*; uti Nota (g) retulimus. Atqui ex Adversario in Thes. VIII. hujusmodi gratia, *che chiamasi dalle Scuole* Gratia possibilitatis, *non è per entità e natura sua diversa nella specie dalla grazia, che* datur ut velimus & agamus, *detta nelle scuole* Gratia voluntatis & operis; *e a renderla tale non abbisognavi d'altra Grazia, che prevenghi, e predetermini la volontà*; Ergo ex Adversario omne quod gratiæ illi additur in voluntate & opere, omne quod ex natura sua voluntatem & opus a possibilitate distinguit, omne demum quod deliberatum est, seu tota ratio deliberationis, a natura nostra est, a voluntate nostra additur, & in hominis arbitrium refunditur. Ita sine fuco Harduinus in Epist. ad Rom. digress. de Prædest. *Quæres quarto. Quis te discernit? . . . Respondeo. Quantum ad consensum gratiæ datum, mea me voluntas discernit, UT SOLA CAUSSA DETERMINATIONIS SUI ACTUS*. Atqui hoc multo præstantius est, quam motiones ceteræ indeliberatæ, quæ ad Gratiam pertinent, quæve hujusmodi manent in voluntate etiam & opere: Retractandum est igitur D. Augustino quod l. 1. Retract. c. 9. scripsit: *Cum omnia bona & magna, & media, & minima ex Deo sint; sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, qui in magnis numeratur bonis*. Illudque de pecc. mer. & remiss. c. 18. *Nam si bona voluntas ex nobis est; melius est id, quod a nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateamur etiam bonam voluntatem divinitus adipisci*. Itemque illud S. Bernardi de Grat. & lib. arb. c. 6. *Dictu enim ipso nefas videtur, Deo quod minus, nobis quod excellentius sit attribuere*. Sed addit Placentinus Scriptor: *Richiedesi solo il simultaneo fisico concorso della Grazia cooperante*. Utique: hoc nempe & Molina addit; sed eodem modo: *Gratiam cooperantem unam & eamdem esse cum præveniente & excitante*, Concor. qu. 14. art. 13. disp. 39. edit. Antverp. Verum & Semipelagiani hoc addebant: nec minus tamen antiqui erroris nota incessebantur, qui post Arausicanam Synodum in hæresis noxam succrevit, ab universa Ecclesia anathemate perculsam. Audito S. Prosperum Epist. ad Aug. *Nec considerant* (Massilienses) *se gratiam Dei, quam comitem, non præviam volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas*. Secundum suam phantasiam, dicit, idest scientiam mediam, ut supra ostensum est ex eodem Prospero: *Secundum præscientiam sub ipso gratiæ adjutorio*: ita vero, ut *gratia voluntatibus subdita*, etsi tempore præveniens vel comitans, naturæ tamen ordine & virtute in agendo, voluntates ipsas potius subsequeretur. Hinc & S. Parens de Prædest. SS. c. 2. *Sicque homo* (inquit) *quasi competit cum Deo, ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat; & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat Deo; ET IN EO QUOD DICIT ESSE AMBORUM, PRIOREM SE FACIT, POSTERIOREM DEUM*. Gratis igitur, ac verbo tenus Gratiæ adjutorium supernaturale dicitur, sic præpostere subministratum; supernaturalisque vocatur ordo, ad quem ejusmodi ratione natura evehitur: cum rerum denominationes ab eo, quod in-

in iisdem præstat, accipiendæ sint; adeoque prævalente natura, naturale potius salutis opus, subnaturale vero auxilium Dei eatenus collatum, dicendum foret: fatentibus ipsis Adversariis supernaturale illud tantum esse dignitate, sed ordine & potestate libero arbitrio subditum, ab eoque pendulum. Sed contra clamitat S. Augustinus: *Voluntas Dei est prima & summa caussa omnium motionum*. l. 3. de Trin. c. 4.

Nullus ergo jam tergiversandi locus: utcumque etenim res evolvitur, semper juxta scientiam mediam voluntas creata, quæ suapte natura secundaria est, rationem caussæ primæ quoquomodo sibi arrogat. In hoc tamen commendandus est Adversarius (cui forte subirascentur socii, quod eorum caussam agens, eamdem prodiderit, ac pejorem fecerit), quia nativis coloribus rem non semel depingens, turpem adeo exhibuit, ut ea vel ipsis patronis non aversationem modo, sed horrorem quoque incutere possit. Utinam vero reipsa incutiat: idcirco enim infimum errorem jam antiquitus profligatum, diruptum, contritum, liquatisque Patrum testimoniis dissolutum, Adversariis propinandum suscepimus, dicentes: *Ecce quem colebatis*. Exod. XXXII. 20. Dan. XIV. 26. Resipiscant igitur; ac tandem aliquando a lethargico somno excussi, nec sibi ullatenus fidendum videant, nec in se vel minimum gloriandum: siquidem idola sunt opera manuum hominum, quæ in necessitate non surgunt, non protegunt, nec opitulantur illis, qui habebant in eisdem fiduciam. Soli Deo vivo & vero honorem omnem & gloriam reddere non detrectent: & sive in iis, quæ ipsius Dei sunt omnino singularia, sive in iis, quæ ipsi Deo placuit nobis quoque fieri ordinate communia, geminatum illud nobiscum concinant: *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*. Velint, nolint, citra omne dubium est quod cum Divis Paulo, Augustino, Cypriano superius monuimus: *In nullo nobis gloriandum, quando nostrum nihil est*. Et hoc enim pertinet vel maxime ad illud Christi Domini: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*. Post me, inquit, non ante me, *Non enim vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Et Discipulus ille, qui fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, & scimus quia verum est testimonium ejus: *In hoc*, ait, *est caritas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. Nos ergo diligamus Deum, quoniam* (hæc una ratio & caussa) *Deus prior dilexit nos* 1. Jo. IV. 10. 19. *Ut in omnibus cogitationibus, sermonibus, atque actionibus ipse teneat principium: quoniam ex ipso, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula*. S. Aug. de prædest. SS. c. ult.

(l) Sic Adversarius in Corollario: *Se questo adjutorio sii adequatamente efficace, cioè sii metafisicamente connesso colla volizione, ed azioni nostre attesa la sola sua entità*, suapte natura . . . . *dai Tomisti si afferma; e da noi Molinisti* pari jure *si nega*. Par ergo vocat, æquumque jus hominis, quod Molinistæ tuentur, cum Jure Dei, pro quo Thomistæ certant, Scriptor infelicissimus. Ita quoque in Thes. XL. *Aperto e libe-*

libero resta il campo a quistionare, se questa efficace irresistibil forza adequatamente consista nella sola entità della stessa Grazia, o pure nel complesso della entità della Grazia, e della previdenza del suo futuro buon uso. Jam ergo Gratiæ efficaciam inter Dei dexteram, & brachium carnis dividere non veretur: nec pertimescit illud, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*. Jer. XVII. 5. Itemque in prædicto Corollario: *Chi volge il pensiero al investigare alcun testo, per oppugnare i fisici costitutivi de' Molinisti (nell' irresistibilità della Grazia), altro non fa, che seminar la fatica*. Congruentius in Adversarium retorquemus proverbium illud Ecclesiastici VII. 3. *Non semines mala in sulcis injustitiæ; & non metes ea in septuplum*. Non Gratiæ igitur efficacia vere est, sed aliena; si aliunde mutuata, si per se illa inefficax, si physica efficaciam illam constituentia non intrinseca sunt, sed vel partim extranea, qua parte demta, nil nisi vacuum efficaciæ nomen superfit, ut Nota (h) animadvertimus. Longe aliter S. Pareus de prædest. SS. c. 11. *Cum Apostolus dicat, ut SECUNDUM GRATIAM firma sit promissio; miror homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei*. Et c. 12. de don. persev.: *Subventum est infirmitati humanæ, ut DIVINA GRATIA INDECLINABILITER, ET INSUPERABILITER AGERETUR*. Non, ageretur humana infirmitate Divina Gratia; sed e contra, Divina Gratia ageretur humana infirmitas; & indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur. Adversarius tamen tanti beneficii largitatis pertæsus, & ægritudine magis, quam sanitate delectatus, physicum aliquod ejusmodi insuperabilitatis constitutivum in infirmitate quærit, non in fortitudine; in subventa creatura, non in subveniente Creatore ac Reparatore.

Sed insani hujusmodi juris momenta perpendamus, quæ ad tria capita potissimum reducuntur. Primo quidem illud S. Augustini. Adversarius objicit ex lib. 1. ad Simplic. q. 2. de *Deo sic vocante, quomodo scit ei congruere, cujus miseretur, ut vocantem non respuat*. Huc facit quod secundo profert ex Matthæi cap. XI., pertritum nempe illud: *Væ tibi Corozain &c. quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pænitentiam egissent*. Tertio Caput 47. Augustiniani Libri contra Pelagium de Grat. Chr. adlegat, quo omnia absolvit. Ac integrum quidem locum primo transcribit, *affinchè* (ait) *nessuno dubitar possa di mutilazione, che n' alteri la sostanza*. Deinde in quatuor partes illum dividit, quarum postrema illa est, quam vel maxime ad rem suam facere obtendit, & de qua proinde dicit: *Hic omni pede standum*. Est autem hujusmodi, prout in ea partitione recensetur: *Si consenserit* (Pelagius, qui adjutorium Dei *ad posse* admittebat, non autem *ad velle & agere*) *si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus; eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum &c.* (hoc &c. cur Adversarius surreptæ clausulæ suppofuit, statim videbitur); *nihil de adjutorio gratiæ, quantum arbitror,*

inter

inter nos controversia relinquetur . Hinc subdit callidus Scriptor : *Venghiamo ora a noi* . Atqui *noi concediamo , ed abbiamo sempre conceduto , la volontà nostra , le nostre salutari azioni* divinitus adjuvari , & sic adjuvari , ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus , *che che ne sia se questo adjutorio sii adequatamente efficace , cioè sii metafisicamente connesso colla volizione , ed azioni nostre , attesa la sola sua entità* , suapte natura , *di che S. Agostino non parla , da Tomisti si afferma , e da noi Molinisti* pari jure *si nega . Adunque giusta il sentimento del Santo* , nihil de adjutorio Dei inter nos , *cioè tra il S. Dottore , e noi Molinisti* , controversiæ relinquitur .

Jam ad nos revertamur , futilesque gerras , imo & calumnias de more impudentissimas diluamus . Quod vero ad primam attinet , quid porro est apta illa & congrua vocatio Dei ex eodem Augustino , imo etiam ex eodem libro 1. ad Simplic. , eademque quæstione , nisi vocatio secundum propositum , per congruentiam illam beneficiorum applicata , quæ respectiva dicitur , quia vocatorum indigentiæ respondet . Indigentiæ igitur , non aptitudini naturali , vel prævii ultro ferendi consensus dispositioni , aut conditioni , congrua censenda est vocatio hujusmodi : ita ut , quod ad primæ ejusdemque adæquatæ caussæ rationem pertinet , ex vi Gratiæ sola , ac semper intrinseca , non aliunde , beneficia illa sic apte applicata effectum sortiantur ; atque idcirco apta & congrua illa vocatio sit , quia non merita , non virtutes , non dotes vel studia naturæ , sed majora tantum vel minora voluntatis humanæ impedimenta amovenda respiciens , proposuit Deus hæc amovere ex beneplacito misericordiæ suæ , per ea quæ respective opportuna & valentiora media inveniuntur ad fidei gratiam conferendam , & justificationem , vel earum etiam profectum promovendum , consummandamque perfectionem . Quapropter Divinæ quidem Sapientiæ & Providentiæ opus est salutaria media cuivis apta disponere : sed magis & ubilibet eorum applicatio & effectus ab Omnipotentia Dei pendet , ejusque suprema voluntate , qui *Omnipotentiam suam, parcendo MAXIME , & miserando manifestat* . Quare & S. Parens ibidem n. 14. inquit : *Quis dicat , modum quo ei (obstinatiori* nempe *voluntati) persuaderetur ut crederet , etiam Omnipotenti deesse ?* Siquidem , ut ait de Don. persev. c. 12. *Omnipotens Dominus magis habet in potestate voluntates hominum , quam ipsi suas* . Hoc profecto videre fuit in Saulo , *spirante adhuc minarum & cædis in discipulos Domini* . Act. IX. 1. *Potens est enim Deus & de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* . Luc. III. 9. Verumtamen curnam Adversarius ne summis quidem digitis tangere ausus est Thesim IX. Colleg. S. Lazari (quemadmodum nec plerasque alias) , ubi locus extat apprime conspicuus , ex præfatis libro & quæstione ad Simplicianum depromtus , qui Molinisticam hypothesim funditus evertit ? Locum illum adeat quisquis : nos enim ex Enchirid. ad Laurentium c 32. alterum similem recitabimus , ubi pressius adhuc & nervosius S. Doctor argumentum idem inculcat . *Si propterea dictum est , non volentis , nec currentis , sed miserentis est Dei , quia ex*

utro-

utroque fit, *idest ex voluntate hominis*, *& misericordia Dei* . . . . ; *cur non e contrario dicitur*, *non miserentis Dei*, *sed est volentis hominis*; *quia & misericordia sola non impletur ? Porro si nullus Christianus dicere audebit*, *non miserentis est Dei*, *sed volentis est hominis*, *ne contradicat Apostolo*; *restat*, *ut propterea recte intellectum dicatur*, *non volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis est Dei*, *UT TOTUM DEO DETUR*. *Tutiores* quippe *vivimus* (de don. persev. c. 6.), *si totum Deo damus*; *NON AUTEM NOS ILLI EX PARTE COMMITTIMUS*.

Quod vero ad Tyrios & Sidonios spectat, Divus ipse Augustinus docet laudato lib. de don. persev. c 14., non solum ad *Divinum munus naturali intelligentiæ* referendam fuisse eorum aptitudinem ad conversionem (ex quo munere venit, ut *qui adjuvatur*, *aliquid etiam sponte conetur*, ut habet S. Pater de peccat. mer. c. 5.), sed aliud quoque, idemque speciale munus futurum fuisse, *altiori judicio Dei reservatum*, ejusdem primi muneris applicationem ad salutaria & supernaturalia media conversionis, unde potissimum & excitatio, & determinatio ad bonum natura nostra præstantius proveniat nobis oportet. Quæ tamen media dum Tyriis atque Sidoniis minime adhiberentur, ipsis hoc erat imputabile ex aliis eorum defectibus, superstitione nempe, idololatria, aliisque criminibus; juxta auream illam ejusdem S. Augustini regulam item de peccat. mer. c. 17. *A gratia Dei est*, *quod hominum adjuvat voluntates*, *qua ut non adjuventur*, *in ipsis itidem caussa est*, *non in Deo*. Hinc porro tanto magis perditionis suæ in caussa erant Corozaitæ & Bethsaiditæ, qui salutaribus iis mediis donati, eisdem nihilominus abutentes, præconcepta cordis duritie ampliori Gratiæ impedimentum inferebant. Ac proinde graviori quidem Christi objurgationi erant obnoxii, quod sibi ex mera eorum malitia inefficax foret ejusdem Christi gratia, quæ aliis minori voluntatis pervicacia ægrotantibus salutaris medicina fuisset, respective quidem, at semper, ut diximus, suapte natura efficax. Exploditur ergo Moliniano-Congruistarum sententia, qui non a Gratiæ natura, sed a naturæ consensione, & a consentaneis circumstantiis conditionalem prævisi effectus certitudinem in humano arbitrio per somnium mutuantur: quæ circumstantiæ, cum ex se se indifferentes sint, non minus ac ipsa liberi arbitrii innata indifferentia; impossibile equidem est quidpiam certi exinde eruere ad ejusdem arbitrii determinationem capessendam.

Novissimam demum Adversarii technam dissolvamus, quæ dignum vere patella operculum est. Integrane fide retulit ille integrum Caput 47. S. Augustini contra Pelagium ? Quare ergo post præmissam ejusdem Capitis recitationem, cursim & perfunctorie peractam (ut legentes imperiti, vel parum attenti quid magis minusve interesset minime adverterent), ubi postmodum ad peculiarem ipsius Capitis membrorum usum & applicationem devenit, membrum illud caute semper reticuit, præteriit, ac dissimulavit, quod totam vim argumenti Augustiniani contra Pelagium, & nostri contra Molinam complectitur ? En verba S. Parentis integre

D re-

restituta, riteque coaptata. *Si consenserit* (Pelagius) *etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, ET SIC ADJUVARI* (adjuvari quippe & voluntatem jam Pelagius non negabat, ut supra ostensum est, sed non quomodo Augustinus cum Catholicis), *ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus; eamque esse Gratiam Dei per Jesum Christum, in qua nos sua, non nostra justitia justos facit; UT EA SIT VERA NOSRA JUSTITIA, QUÆ NOBIS AB ILLO EST* (hoc Adversarius dolo malo resecuit, & plusquam septies in hujusce loci recensione, distributione, & applicatione sub fallaci *&c.*, veluti sub modio occuluit): *nihil de adjutorio Gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur*. O viles artes! o in auctores suos ad turpem infamiam perpetuo relabentes astutias! Utendum porro hic nobis æstimo exemplo illo, quod Adversarius in Thes. XXXIV. temere sibi e Foro usurpat: *Giusta lo stile solito tenersi nei Tribunali, ove le produzioni esibite per una parte si accettano* in favorabilibus *dall' altra, accetto anch' io in ciò che ci è favorevole la sua allegazione*. Per Augustinum ergo ab Adversario citatum (& quidem Capite illo, de quo Adversarius ipse fatetur, *che niente vi è di enfatico, e figurato, ma tutto è piano, facile, e chiaro*) per Augustinum, inquam, Pelagianus est qui denegat, *eam esse gratiam Dei, in qua ita nos sua, non nostra justitia justos facit, UT EA SIT VERA NOSTRA JUSTITIA, QUÆ NOBIS AB ILLO EST*. Sed Adversarius hoc negat, & refugit. Ergo &c. Hujuscemodi autem sunt Adversarii jura; hujuscemodi justitia. At si ea tantum est *vera nostra justitia, quæ nobis a Deo est*; falsa ergo quævis alia, quæ illi a nobis, non nobis ab illo est. Falsa, quæ ab infirma hominis natura, quæ ab inertis arbitrii indifferentia, quæ a versatilis adjutorii superventu, quæ a præpostera voluntatis nostræ prævisione perperam eruitur: sed ea tantum vera, quæ nobis a Deo est. *Hic* ergo, *hic*, & non alibi *est omni pede standum*, nisi præcipiti lapsu in Pelagianam hæresim, vel Semipelagianam corruere velis.

Res ergo ad liquidum jam perducta est. Quandoquidem ex firmo illo S. Parentis principio, *Inchoata caritas inchoata justitia est, provecta caritas provecta justitia est, perfecta caritas perfecta justitia est* (de nat. & grat. c. 70.); itemque ex altero, *Istam caritatem non dat, NISI DEUS: caritas enim ex Deo est* (l. 3. oper. imperf. n. 116. ex Rom. 5. 1., & 1. Jo. IV. 7.): manifeste utique consequitur, justitiam omnem nonnisi ex Deo esse. *Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos: si non ex Deo, vicerunt Pelagiani*. (de Grat. & lib. arb. c. 18.) Demonstratum est igitur, vel Pelagianum nomen admittendum cum hæresi, vel hæresim respuendam cum nomine. Omnino ergo ad liquidum perducta res est. *Vicit, inquam, Dei gratia: nec nisi ad illud potuit perveniri, ut LIQUIDISSIMA VERITATE dixisse intelligatur Apostolus: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (l. 2. Retract. c. 1.) Reformidabat quidem Adversarius Magni Augustini testimonia, quæ proinde veluti obscura,

ſcura, impropria, figurata, & emphatica, abſoluto ſtylo carpere & traducere pertentavit. Hæc nota (b) ſatis jam ſuperque diluimus. Sed Adverſarium ipſum non ſemel habuimus fatentem reum, ac in ſemetipſum contraria aſſerentem. Cum ex Sacræ Scripturæ fontibus, & de Eccleſiæ promtuariis *liquidiſſima, apertiſſima, evidentiſſima* hac de re ſe protuliſſe teſtetur Magnus ipſe Parens, e Scholaſticis terminis ad terminos Juris & Patrum re deducta, cauſſa cadant Adverſarii neceſſe eſt. Reapſe etenim ſumma cauſſæ hæc fuit: non equidem an S. Patris Dogma de efficiendi Gratia Dei ad *partes* illas *incurrentium quæſtionum* vere pertineret, quas ab Eccleſia *nec contemnendas, nec adſtruendas* Clauſula ultimo adjecta Fidei Capitulis poſt S. Cæleſtini Epiſtolam oblique tangit, nullam ſignate exponens (perperam enim quibuſdam obtruſum id fuit, & falſa præſumtione acceptum): ſed utrum vere ac proprie dicta ſic intelligenda eſſent, uti ſunt, tum quæ S. Auguſtinus, tum quœ antiquiores Patres, & coæva ac poſtera Concilia, nec non Sancta ipſa Romana Eccleſia deſuper docuerunt. Expreſſe namque legitur & in ipſiſmet laudatis Fidei Capitulis a S. Pontifice vel conſcriptis, vel probatis: *ITA Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium,* OMNISQUE MOTUS BONÆ VOLUNTATIS A DEO SIT. Item: *Tanta eſt erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona* (quod a Tridentino etiam Concilio adoptatum vidimus); *& pro his, quę largitus eſt, præmia ſit donaturus.* AGIT QUIPPE IN NOBIS, UT QUOD VULT ET VELIMUS, ET AGAMUS. Rurſum: *His Eccleſiaſticis regulis confirmati ſumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur,* DEUM PROFITEAMUR AUTHOREM. (Adverſarius in Theſ. XXXII, dicit: *Dio non è Autore de' noſtri meriti.*) Ac demum: *Obſecrationum Sacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Eccleſia Catholica uniformiter celebrantur:* UT LEGEM CREDENDI LEX STATUAT SUPPLICANDI. Quænam autem hæc ſupplicandi lex ſit, præfata nota [b] ſatis jam recoluimus. Hic vero opportune ſubdimus cum S. Hormiſda: *Quid ergo* CALUMNIANTIBUS *opus erat extra conſtitutos Eccleſiæ terminos porrigere quæſtiones, &* DE IIS QUÆ HABENTUR DICTA, QUASI DICTA NON SINT, MOVERE CERTAMINA? *cum Chriſtiana fides Canonicis libris, & Synodalibus præceptis, & Patrum regularibus conſtitutis* STABILI ET INCONCUSSO TERMINO LIMITETUR.

Numquid igitur adiaphora videri adhuc poterit cauſſa hujuſmodi? an nova definitione indigere? Age: ſi in exteriori Eccleſiæ foro adverſantis erroris condemnatio, ſeu potius antiquæ comdemnationis confirmatio nondum palam promulgata eſt (latam enim omnes jam norunt), quid tum? Anne hoc ad ſuffragium manifeſti erroris quidpiam confert? Quidpiamne hactenus deſideratur ad litem omnem dirimendam? In promtu

D 2 eſt

est : atque Adversarius ipse suppeditavit. In percelebri illa ac diuturna Congregatione de Auxiliis cum Molinæ systema plurimis ambagibus implicaretur, & asserta gratia versatilis contra Gratiam effectricem (quod caput erat) eo nomine se præferret, quod Thomisticæ tantum Scholæ, non autem Divinis & Ecclesiasticis regulis expresse ac præcise adversari videretur ; inter allegata ex adverso & probata id forte minime in medium prolatum est, quod radice sublata, totum systema illud funditus evertit. At primum, quod expetebamus, præstitit modo Adversarius noster : alterum vero nos e regione exhibemus, & allegamus ; Canonem scilicet allegamus & definitionem in caput illud apertissimam, totique Ecclesiæ compertissimam æque ac probatissimam. Quæritur itaque utrum justitia, bona voluntas, & omne opus bonum, donum Dei sit *in termini illimitati* *. Hoc adversarius inficiatur, utpote Moliniano systemati oppido fatale ... Nos vero definitum ostendimus ex Arausicana Synodo II. can. 25. PRORSUS DONUM DEI EST. *Ac sic Deo propitiante prædicare debemus & credere*. Ita jam & in plenario Carthagin. Concilio can. 4. sancitum fuerat. Adstipulatur etiam Tridentina Synodus sess. 6. can. 32., quem Canonem non marte nostro, ac non modo ex naturali jure convertibilem diximus Not. [f], sed ex cap. 16. a sacrosancta ipsa Synodo diserte reciprocatum demonstravimus, ipsissimis verbis a S. Cælestino usurpatis: *Cujus* (Domini) *tanta est erga omnes homines bonitas, ut ipsorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*. Et hoc quidem *in termini illimitati* : subdit enim S. Pontifex: *Cujus* (Dei) OPERI *ac dignationi* NIHIL PENITUS SUBTRAHENDUM EST. Ubi tandem concludit : UT PRORSUS NON OPINEMUR CATHOLICUM QUOD APPARUIT PRÆFATIS SENTENTIIS ESSE CONTRARIUM.

Hæc porro jura nostra sunt : sacræ videlicet Literæ ; Traditio Apostolica ; Sancti Ecclesiæ Patres ; Conciliorum Canones ; pervetusta Romanæ Sedis oracula ; nempe Cælestini I., a quo laudata Fidei Capitula promanarunt ; Felicis IV., a quo Arausicani Canones ad Galliæ Episcopos missi sunt ; Bonifacii II., a quo confirmati ; aliorumque complurium Summorum Pontificum, a quibus hac de re S. P. N. Augustini doctrina consecrata est. Accedunt quoque recentiores Christi Vicarii, Clemens VIII., Paulus V., Alexander VII., Benedictus XIII., Clemens XII., ac SS. demum D. N. Clemens XIII., de quibus infra.

(m) Hujusmodi Brevi Sanctissimus Pontifex Decretum Vallombrosanæ Congregationis de re doctrinali (adeoque universali) confirmavit, ubi

---

* Hoc potissimum fuisse Controversiæ caput, *Num scilicet tota Gratiæ efficacia a Deo sit*, vidit, & detulit Card. Madrutius in Congreg. de Auxiliis. Hist. l. 2. c. 7. & 8. col. 181. 190.

ubi hoc præclare statuitur : *Vogliamo , che si spieghi il Trattato della Divina Grazia compatibile col libero arbitrio dell' uomo , e si stabilisca il VERO SISTEMA della sua efficacia* ab intrinseco *CONTRO I MOLINISTI* . Cui Sanctitas Sua , Ecclesia tota plaudente , ac faustissimum serenitatis auspicium bonis omnibus gratulante , supremum calculum posuit hisce verbis: *Omnia & singula Auctoritate Apostolica tenore præsentium CONFIRMAMUS , ET APPROBAMUS , ILLISQUE INVIOLABILIS APOSTOLICÆ FIRMITATIS ROBUR ADJICIMUS . &c. Non obstantibus quibuscumque &c.*

Salubberrimæ huic Sanctioni præluserunt Maximi alii Pontifices Regnantis prædecessores . Nimirum Clemens XII. privilegiis & honoribus cumulare volens Doctoris ejus discipulos , qui Sancti Patris Nostri Magnus ipse Discipulus fuit , dum in S. Thomæ ejusque Angelicæ doctrinæ laudes effunditur Const. *Verbo Dei scripto.* 28. Aug. 1733. inquit : *Quo loco Decessores nostri Romani Pontifices Sanctum Christi Confessorem Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum , & Ecclesiæ Doctorem honoris caussa Angelicum cognomento appellatum semper habuerunt ; eum propterea justis laudibus in suis Diplomatibus prosequuti , & præsertim Alexander IV. , qui Thomam adhuc viventem , per Dei gratiam thesaurum literalis scientiæ adeptum pronunciavit ; inque ejus vestigia subinde incurrentes alii Romani Pontifices sebsequuti, Joannes XXII. , Clemens VI. , Urbanus V. , Clemens VIII. , Paulus V. , Alexander VII. , Innocens XII. , & Benedictus XIII. , QUI OMNES UNO EUM ORE ADPROBANTES , in sacris Ecclesiæ fastis juxta ac magnos Ecclesiæ Doctores Gregorium , Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum , Thomam quoque ut vitæ probitate , & sanctioris Theologiæ scientia venerabilem , miraque eruditione Ecclesiam Dei clarificantem , ac sancta operatione fœcundantem , coli voluerunt . Itaque tanti Viri Doctrinam , IN CONCILIIS ETIAM ŒCUMENICIS CELEBRATAM , debitis præconiis reipublicæ caussa Nos quoque ornare cupientes &c.*

Ita Benedictus XIII. Literis *Demissas preces.* 6. Nov. 1724. per Const. *Pretiosus* confirmatis, ad peculiarem rei nostræ de Gratia & prædestinatione materiem deveniens : *Cum igitur* , ait , *bonis & rectis corde satis constet , ipsique calumniatores , nisi dolum loqui velint , satis perspiciant , SANCTORUM AUGUSTINI ET THOMÆ INCONCUSSA TUTISSIMAQUE DOGMATA nullis prorsus antedictæ Constitutionis* (Unigenitus) *censuris esse perstricta ; ne quis in posterum eo nomine calumnias struere , & dissensiones serere audeat , sub canonicis pœnis districte inhibemus . Pergite porro Doctoris vestri opera sole clariora sine ullo prorsus errore conscripta , quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit , inoffenso pede decurrere , ac per CERTISSIMAM ILLAM CHRISTIANÆ DOCTRINÆ REGULAM sacrosanctæ Religionis veritatem , incorruptæque disciplinæ sanctitatem tueri , ac vindicare . Magno igitur animo contemnite , dilecti Filii , calumnias intentatas sententiis vestris , de Gratia præsertim per se & ab intrinseco efficaci , ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum , quas laudabiliter hactenus docuistis , & quas ab ipsis*

25

ipsis Sanctis Doctoribus Augustino & Thoma se hausisse , & verbo Dei , summorumque Pontificum & Conciliorum Decretis , & Patrum dictis consonas esse, schola vestra commendabili studio gloriatur .

Pariter Alexander VII. Diplomate pro Universitate Lovaniensi 7. Aug. 1660., Professores illos Doctrinæ ejusdem assertores acerrimos fovens sic alloquitur : *De reliquo non dubitamus vos pro singulari scientiæ pietatisque studio sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes , & Sanctorum Patrum traditiones requirunt , doctrinam semper amplexuri , & adversus Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis , nec non præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis INCONCUSSA TUTISSIMAQUE DOGMATA sequi semper , ut asseritis , ac impense revereri velitis : quorum profecto Sanctorum Virorum penes Catholicos universos ingentia , & omnem laudem supergressura nomina novi præconii commendatione non egent .*

A Paulo vero V. Bulla illa *Gregis Dominici* digesta est , quam etsi non emanatam (culpa diceres non Quiritum , sed temporum) , ideo tamen recensemus , ut ipsa magis e re ipsa , aliisque locis Canonicis illuc collatis, ceterisque etiam quæ superius retulimus , fidem & authoritatem amplissimam sumere intelligatur , quam quod illa iisdem impertire dicenda sit , vel dicere indigeamus . Ibi ergo cap. 6. legitur : *Qui de Gratia Dei doctrinam sanam & sinceram olim impugnabant , cum asseruissent non adjutorio Dei , sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam , idest , ut velimus ; bene videntes illud Apostoli ,* Deus, est qui operatur in nobis velle , *dogmati suo vehementer esse contrarium ; ut hanc oppositionem solverent , interpretabantur , Deum operari in nobis velle quod bonum est & sanctum , dum nos futuræ gloriæ magnitudine , & præmiorum pollicitatione succendit ; dum revelatione sapientiæ in desiderium sui torpentem excitat voluntatem ; dum nobis suadet omne quod bonum est . Sed tam illa eorum assertio proprii dogmatis , quam ista interpretatio sententiæ Apostolicæ , ab Ecclesia Catholica judicata semper est erronea . Quare & illi judicandi sunt errare , qui hoc quoque tempore , licet agnoscant quod Deus sua gratia præveniendo voluntatem hominis , virtutem subministret , qua sic excitat atque adjuvat , ut per eam possit homo , & si ipse velit , quæ ad salutem suam pertinent operari ; & quod per eandem virtutem indeliberati quidam actus in voluntate , & a voluntate hominis efficienter producantur ; tamen asserunt , quod ulterius ad actus liberos volendi & agendi non aliter moveat Deus , quam interius suadendo , invitando , & excitando , sive alio quomodocumque exprimatur , moralis seu metaphoricæ , ut eam ipsi vocant, motionis modo attrahendo . Nam & huic assertioni contrarium est quod Apostolus prædicavit :* Deus est qui operatur in nobis velle & perficere ; *quod Deus ipse promisit per Prophetam :* Faciam ut in præceptis meis ambuletis , & judicia mea custodiatis , & operemini ; *quod Ecclesia Dei definivit :* Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur (*Conc. Arausf. II. can. 3.*) *Siquidem testimonia ista certissime intelligenda sunt de operatione Dei vere & proprie , atque in hoc sensu phy-*

physice nos efficiente velle, & operari, & perficere. Append. Hist. de Auxil. docum. 15. Inter Canones autem damnandæ doctrinæ, jubente ipso Pontifice a Consultoribus elaboratos, qui ibidem prostant docum. 13., de Molinæ systemate hæc passim dijudicata occurrunt: *Adversatur doctrinæ in Ecclesia, tum olim contra Pelagianos, eorumque reliquias definitæ ac defensæ, tum novissime in Concilio Tridentino confirmatæ. Doctrinæ illi contradicit, qua contra reliquias Pelagianismi olim definitum est. Gravissime errat contra doctrinam, quæ ex Scripturis Sacris olim definita est contra Pelagianos, eorumque reliquias, & hactenus tradita a probatis maxime in Ecclesia Dei Doctoribus. Adversatur Ecclesiasticis definitionibus. Anathemate feriatur*. Ac de ipsa gratiæ Dei ab hominis arbitrio pendente efficacia, omnino factitia, sic speciatim notatur: *Adversatur doctrinæ, QUA AB ECCLESIA DEI DEFINITUM EST, DEUM ETIAM IN ILLIS QUOS VOCAT GRATIS, NON EXPECTARE EORUM VOLUNTATES, SEU CONSENSUM*. Conc. Arauf. II. can. 4.

Clemens porro VIII., cui primum refricata hujusmedi Controversia delata fuit, Oratione habita in prima Congr. de Auxil. 20. Mart. 1602. hæc habet: *Factum est, ut Summi Pontifices Romani mei prædecessores, Zozimus, Bonifacius, Celestinus, Leo, & Hormisdas, Augustini doctrinam contra Pelagianos ita laudaverint, ut illius scripta, quæ intra Gallias a novis Pelagianæ hæresis sectatoribus reprehendebantur, consulto approbaverint. &c. Quibus omnibus accedit, ita S. Augustinum omnes difficultates, quæ vel a Pelagianis & eorum sectatoribus tunc movebantur, vel potius moveri possent, penetrasse & explicuisse, & ita illorum omnia sophismata dissolvisse, ut nihil hac nostra tempestate de gratia Dei in controversiam vertatur, quod a S. Augustino non fuerit jam olim copiose pertractatum. Vanum est enim quod a nonnullis dicitur putari, præsentes quæstiones esse recenter a Theologis Scholasticis excogitatas: cum nihil contra Divinæ Gratiæ necessitatem & virtutem a recentioribus quibusdam nunc asseratur, quod a Pelagianis & Semipelagianis olim assertum non fuerit; nihil etiam adversus illos pro ejusdem Divinæ Gratiæ virtute atque efficacia & necessitate dici oporteat, quod S. Augustinus ante mille fere & ducentos annos non docuerit*. Ad Molinistas vero conversus Pontifex vere Maximus, ita præfatus fuerat: *Novis istis vestris opinionibus, vel veteribus quidem, sed sepultis jam post mille ducentos annos, & ab Ecclesia profligatis, ita Catholicorum animos rursus imbuere studuistis, ut procul dubio videamini pacem scindere, inconsutilem Domini tunicam dividere, & in Ecclesiam Dei Pelagii hæresim iterum invehere. Quid enim aliud est, vel prorsus repudiatis, vel saltem posthabitis vetustissimis illis & sanctissimis Viris, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Prospero, & aliis, qui nullis vigiliis aut labori pepercerunt, adversus Pelagianos constantissime dimicarunt, eorum artes diffuerunt, venenum detexerunt; falsos sensus aperuerunt, & argumentationes omnes dissolverunt; quid, inquam, aliud est, posthabitis his sanctissimis & doctissimis Patribus, recentioribus quibusdam, vel nullius, vel certe exigui nominis Doctoribus, tamquam ducibus, ad istas vestras opina-*

26

opinationes defendendas uti ; quam Ecclesiam Dei Pelagianorum erroribus denuo inficere & contaminare ? Quid est hoc quod molimini ? An non dubitatis pro defensione unius Molinæ invehere in Ecclesiam Dei Pelagii dogma ? Perpendite , obsecro vos , quam grave periculum a vestris istis concertationibus universo Christiano Orbi impendeat . Nolite communi necessitati & saluti privatas vestras rationes præferre . Cedite Patribus , cedite veritati . Hist. l. 3. c. 10. col. 330. & Append. docum. 9.

Pro coronide autem contra Italicum Libellum præpositis Thesibus & Testibus gravissimis refutatum, Epigramma Italicum subjiciemus Anonimi Auctoris, qui quantum nobis arcto amicitiæ vinculo conjunctus est, tantumdem Adversarios ipsos vel nolentes Christiano amore nobiscum prosequitur : cujus rei non levi argumento erunt pia ejusdem Epigrammatis sensa , sale quamvis aliquo , salutari tamen conspersa .

Nunc autem manent Fides , Spes , Caritas , tria hæc : major autem horum est Caritas . 1. Cor. XIII. 13.

Odesi l'alma Fe , che come fida
Scorta il Ciel dienne , alto gridar : Non lice
In dubbio por , che d'ogni bene autrice
Grazia non sia , non che maestra , e guida ,

Se tutto in Dio (la Speme insorge , e dice)
L'uom speri , allor forse timor s'annida ?
E ove in se folle , e misero s'affida ,
Allor fia più sicuro , e più felice ? (1)

Ma sovra tutto (Amor seguir s' udio)
S'esalti il sommo Bene ; e a mani liete
Diam tutto a lui , che tutto a noi s'offrio .

Or quale a voi , ch' ancor ritrosi siete ,
Pena minaccia Amor ? Sempre di Dio ,
D'altrui , di voi disamorati andrete . (2)

---

(1) S. Aug. de don. persev. c. 22.
(2) Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum , sit anathema Maran Atha . GRATIA Domini nostri Jesu Christi vobiscum . Caritas mea cum omnibus vobis IN CHRISTO JESU . Amen . 1. Cor. XVI. 22. 23. 24. *Vide Menoch. hic.*